



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio LXX. De Sententia inter alios lata, & in qua exprimitur causa falsa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

ptione merè odiosa, quæ præter o-
dium negligentis etiam titulò caret &
bona fide, qualis de Jure Civili esse
potest Præscriptio longissimi tempo-
ris, non verò secundum Jus Canoni-
cum; si verò suam doctrinam etiam
vellent extendere ad Præscriptionem

longissimi temporis bona fide infor-
matam, non posse eorum doctrinam
procedere, alii DD. qui rem penitus
considerarunt, ac nostra resolutionis
fundamenta satis clarè ostendunt,
atque etiam Lutherani Scriptores cum
Berlichio agnoscunt.

TITULUS XXVII.

De Sententia & Re judicata.

DECISIO LXX.

De Sententia inter alios lata, & in qua exprimitur
falsa causa.

SPECIES FACTI.

Hannibal & Alphonfus, duo fra-
tres, tria millia florenorum mu-
tua dederunt Civitati L. ad 20. an-
nos cum pacto usurarum quincuncium,
in Imperio Romano permissarum vi
Statuti & Consuetudinis, nimirum 5.
pro 100. In securitatem hujus crediti
hypothecavit Civitas fundum satis qui-
dem amplum, at simul satis sterilem,
perestitate quoque relicta fratribus u-
tendi fruendi fructibus hujus fundi, &
quidem omnibus, quos proferet per
industriam duorum fratrum ad melio-
rem culturam redactus. Pars utraque
hoc contractu fuit optimè contenta
per 12. annos, intra quos magno
quidem labore, nec sine magnis sum-

ptibus, tam fertilem effecerunt fun-
dum duo creditores, ut usuras quin-
cunces collecti fructus non tantum ad-
æquasse, sed etiam notabiliter superas-
se visi sint Civitati, quæ proin hoc
creditorum lucrum pro suo damno
interpretata contra excessivas usuras,
per pactum antichreticum de Jure pro-
hibitum conventas, apud Judicem
querelam deposuit, ac Alphonsum
(nam Hannibal ejus frater militiæ cau-
sa absens fuerat) actione instituta re-
um egit pacti usurarii, sibi que fun-
dum restitui postulavit. Judex post
Replicam & Duplicam tulit sententiam
contra Alphonsum, eumque condem-
navit tanquam usurarium, Civitati
verò

verò restituere fundum iussit, imò ipsemet eandem immisit statim in possessionem, postquam sententia, cui inferuit causam condemnationis hanc, quia nimirum *illicitas & excessivas usurarum* hucusque perceperunt ex fundo creditores, injungendo simul iisdem, ut rationes perceptorum fructuum simul ac expensarum in fundi culturam factarum exhiberent, transiit in rem iudicatam. Post traditam fundi possessionem in hyberna rediit Hannibal, & hanc sententiam, ejusque executionem sibi, tanquam absenti & non col- litiganti, non obesse dixit, cum acta inter alios aliis de Jure non noceant.

Sed & Alphonsus sententiam tanquam invalidam impugnavit, eo quod in reperiatur expressa causa, quae manifestè est falsa, quia condemnatus propter excessum usurarum, & iussus exhibere rationes acceptorum fructuum, & expensarum in fundi culturam factarum, sine quibus rebus prius visis constare iudicio non potuit de usurarum excessu, & antichretici iniquitate. Quæritur in I. Utrum Hannibali, qui condempnatus non fuit, nocere poterit sententia? II. An hæc sententia, facta causam continens, fuerit invalida?

Q U Æ S T I O I.

Utrum Hannibali, qui consors litis non fuit, nocere poterit sententia?

HOC suadent non levia argumeta, uti I. Sententia & res iudicata jus facit, controversiis finem imponit, & habetur pro veritate. l. 25. ff. de stat. hom. l. 3. ff. de agnosc. liber. l. 50. ff. de legat. 1. c. 13. de sent. & re iud. ergo non tantum inter partes iudicio assilentes, sed etiam inter alios, quos sententia respicit, eosdem habet effectus, & pro veritate habetur. II. Sententia in favorem hæredis ab intestato lata contra hæredem scriptum nocet etiam legatariis, qui non litigârunt. l. 3. ff. de pignors. l. 8. §. penult. l. 17. in fin. l. 28. ff. de inoffic. testam. ergo etiam sententia lata contra Alphonsum etiam

nocebit Hannibali, licet non litigârunt ipse. III. Quando sententia tur contra socium in causa indivisa seu connexa & pluribus communis est v. g. servitus, nocet etiam aliis sociis, l. 11. §. Cassius. ff. de aqua plu. cum de individuis non possit pro parte agere. l. 17. ff. de servitut. sed inter fratres, quales Alphonsus & Hannibal, præterea societas saltem tacite inita. C. Tusch. litt. S. concl. 317. n. 1. si causa mutui, & inde pacta ulura fructibus pignoris, est causa indivisa ergo. IV. Sententia aliis, quam partibus in iudicio existentibus, prodest loci 4. §. si fundus ff. si servit. vind. si pro

desti sententia omnibus hæredibus scri-
ptis, quæ lata est in favorem unius hære-
dis scripti, ut partem hæreditatis conse-
quantur. l. 7. ff. famil. hercisc. sic sen-
tentia lata pro patruo seu fratre testa-
toris, agente per querelam inofficiosi,
prodest etiam filio. l. 27. ff. de inoffic.
testam. ergo vice versa etiam aliis,
quam condemnato, nocere potest.
V. sententia contra hæredem fiduci-
arium prolata nocet etiam fidei-com-
missario, cui hæreditas fuisset restitu-
enda à fiduciario. l. 55. §. actiones ff.
ad l. C. Trebell. Item sententia lata
contra hæredem nocet quoque sub-
stituto, vel eis, qui in jus substituti
succellerunt. l. 44. ff. de Re Jud. ergo
etiam in aliis causis nocebit personis
à litigante distinctis.

Nilominus tamen tantæ efficaciz
illa non esse censeo, ut Hannibal ad
standum sententiz pro sua parte ob-
ligatus existat. Fundamentum ita
servandi suppeditat generalis regula
in utroque Jure tradita, & commu-
niter recepta, hujus tenoris: *res inter
alios acta, vel judicata, nec nocet nec
prodest aliis per se.* Atque ita decisum
est in c. 25. b. t. c. super eo 15. de Off.
Jud. deleg. c. 8. de transact. l. sepe
penult. ff. de Re Jud. l. Modestinus. ff.
de Except. l. 2. in f. C. de fid. instrum.
l. 1. §. t. i. C. res inter alios acta. l. 1.
C. quib. res jud. non nocet §. c. ibi: si
neque mandasti fratri tuo defensionem
rei tue, neque quod gestum est, ratum
habuisti: *prescriptio rei judicata tibi
non oberit*: item l. 29. pr. ff. de except.
rei jud. ibi: *judicata quidem rei præ-*
(R. P. Pickler Decisiones)

*scriptio coheredi, qui non litigavit, ob-
stare non potest.*

Ratio hujus Regulæ traditur in
l. 74. ff. de R. J. ibi: *non debet alteri
per alterum iniqua conditio inferri*; &
in c. 22. eod. in 6. ibi: *non debet ali-
quis alterius odio prægravari*: h. e. ne-
mo debet ex alterius facto damnum
pati. Id quod à fortiori verum est,
& quidem etiam in iis casibus, in qui-
bus aliàs sententia noceret aliis, qui
non litigârunt, quando sententia con-
tra litigantem est lata per sordes aut
imprudentiam Judicis, vel per inju-
riam aut collusionem, per negligenti-
am aut contumaciam vel aliam cul-
pam litigantis, & suam causam non
debitè defendentis. Gonzalez ad b. t.
c. 25. n. 8. Pro cujus rei intelligentia
majori advertendum est, quod in
proposito per tō *alius* vel *alii* intel-
ligantur illi, qui jus habent æquè
principale & non dependens à jure
victi vel condemnati, qui nimirum
à litigante condemnato sunt distincti,
nec ejus successores sunt, sive univer-
sales sive particulares (hi enim in hac
materia habentur pro eadem cum li-
tigante persona, sicut, qui jus habent
dependenter ab alio, nimirum litigan-
te, à quo causam habent, *alii* dici non
possunt ad effectum, ut eis sententia
contra litigantem lata eis non noceat)
Gonzalez n. 3. 4. ubi & auctorita-
tes refert.

Unde generalis Regula, paulò antè
adducta, duas potissimum recipit limi-
tationes, ex c. 25. §. l. sepe penult. cit.
desumptas ita ut tunc res judicata aliis

D d d

noceat

noceat. I. quando is, qui principaliter est dominus litis, seu cui ordine prius competit agere in Iudicio, ac alterum prohibere, nihilominus hunc alterum in Iudicio agere, vel defendere causam permittit; ratio, quia is, ad quem actio vel defensio primum spectat, dum sciens patitur sequentem experiri, quem prohibere poterat, consentire videtur in litem, & sic in sententiam proferendam, ac proinde ea prolata ex tacito vel praesumpto consensu eidem nocet & praedjudicat; ut si creditor, cui traditum est pignus, adeoque principaliter competit defensio, sciens patiatur debitorem experiri contra actorem alterum. l. 3. ff. de pignor. l. 29. ff. §. 1. ff. de Except. rei jud. Idem est, si emptor, qui jam possidet rem sibi venditam, adeoque principaliter habet defensionem, scienter patiatur, ut venditor contra vindicantem in Iudicio evictionis defendat rem venditam. II. Quando quis eum experiri passus est, à quo causam habet, seu à quo aliorum jus in eadem re ortum & derivatum est; tunc enim, si principalis, à quo reliqui jus suum habent, in Iudicio egit & condemnatus est, sententia nocebit etiam illis, etiamsi nec litigaverint, nec vocati fuerint ad litem, nec scientiam litis motae habuerint. l. 1. §. seqq. ff. de agnosc. liber. Covar. varior. resolut. to. 2. c. 13. Hartm. Pistor. l. 4. q. 29. qui praeter Zasium ad ff. tit. de re jud. merentur praeter alios inspicere Cancellar. Schmid Semcent. l. contrav. 21, n. 15. Unde fit, ut sententia lata

contra heredem scriptum & contra testamentum noceat etiam legatario. l. 3. ff. de pignor. l. ult. pr. & §. in rem C. de petit. hered. quia ab herede & testamenti valore pendet legatio profana, & eo non subsistente non debentur. Sic sententia contra heredem lata substitutis, & lata contra fidei commissarium nocet fideicommissariis. l. 1. ff. de re jud. l. 55. §. actioes ff. §. C. Trebell. Lata contra valentem praedjudicat etiam ejus agnatis, ut cum Faschinzo, Covar. & Rothal contra communem & P. H. noldum docet Cancellar. Schmid 17. seqq. Aliud est de casu, quo causa non est pluribus communis, sed eodem fonte respectu omnium descendens, sed quilibet habet propriam actionem aut defensionem, proponere prohiberi ab alio, tamquam primas & potiores agendi ac defendendi partes habente, ex subordinatione non potest; tunc enim sententia lata contra unum non nocet alteri, aequale jus habenti, non pendens vel subordinatum juri illius qui victus & condemnatus est. l. suspecta ff. de testam. sic sententia contra unum heredem lata non nocet alteri coharedi. l. penult. c. de re jud. quia plures heredes non habent actionem vel defensionem communem, sed quilibet eorum habet propriam, quae nimirum à jure alius non dependet; nam actio & defensio inter cohæredes activa & passiva ita dividitur ipso jure, ut cuilibet heredis pars sit diversa à parte

obheredis. Cancellar. Schmid n. 10.
 Ex præmissis jam sic arguo. Regula generalis in Jure prodita, est, quod sententia & res judicata aliis, Judicio non assistentibus, non noceat, iuxta regulam in Jure solum isti duo casus reperiuntur excepti, primus, quando is, cui primum & principaliter competebat actio vel defensio, ita ut ordine sequentem ab agendo vel defendendo prohibere potuisset, scilicet passus est sequentem experiri seu agere vel defendere. Secundus, quando quis passus est eum, à quo causam habuit, experiri Judicio vel sententia siue ignoranter. Text. & DD. in l. penult. § c. 25. x. cit. Temis in c. 25. cit. h. t. sic habet: quomodo regulariter aliis non noceat res inter alios judicata: ei tamen, qui, cum sit primum de ea re actio vel defensio competebat, sustinuit sequentem agere: & (id est, vel secundum communem interpretationem) illi etiam, qui passus est eum, à quo causam habuit, experiri, est præjudicium generatum. Atque novata limitatio vel exceptio à regula generali verificatur in Hannibale in casu præsentis: ergo Hannibali non præjudicavit vel nocuit sententia contra Alphonsum fratrem prolata. *Probat*. probatur: Inter Alphonsum & Hannibalem nec dabatur ordo & subordinatio, ita ut illi primum & principaliter competere Actio vel defensio, sed utriusque jus erat æquale & æque principale, ac insuper nesciebat Hannibal, utpote absens, Alphonsum Judicio involvi, & litem agitari:

neque Hannibal habuit causam ab Alphonso, sicut cohæres non habet à cohærede, sed à suo facto & contractu proprio habuit propriam actionem & defensionem adversus civitatem mutuatariam: ergo.

Confirmatur I. In causa criminali, licet duobus communi & connexa, sententia condemnatoria, contra unum lata, non nocet alteri, licet eodem profit sententia absolutoria, ita ut etiam complici detur exceptio rei judicatae. Gonzal. ad h. t. c. 25. n. 4. circa finem. Sed hic agebatur simul in causa criminali, & Alphonsus fuit condemnatus tanquam usurarius propter excessivas ex pignore usuras perceptas: ergo alteri, nempe Hannibali, ea sententia non nocuit. Confirmatur II. Sententia lata non nocet absenti ob legitimum impedimentum, & non citato. l. quæstum 60. ff. de re jud. (scilicet extra casum, quo absens vel non citatus causam habet à condemnato, de quo dictum est paulò antè) cum in quolibet negotio citari debeant omnes, quos causa contingit, & judicatum obliget tantum litigantes præsentis & liti interessentes. l. 27. ff. de procurat. l. 51. ff. de evict. vid. Card. Tusch. lit. 5. concl. 144. Sed Hannibal tempore litis agitatae fuit absens ex legitimo impedimento, nimirum Reipublicæ causâ castra secutus, nec fuit citatus, ut liti interesse posset per Procuratorem: ergo.

Ex quibus complanata jam est via ad declinandas objectiones initio positas. Ad I. N. Cons. vel dist. Antec.

D d 2

res

res iudicata jus facit &c. inter litigantes, & iudicio interefferentes. *C. Ant.* inter alios. *N. Ant. § Conf.* ratio negandi patet ex dictis. Ad II. *C. ant. N. Conf.* legatarii totam causam habent ab hærede scripto, & testamenti valore: ergo, si per sententiam condemnatur hæres scriptus, & pronuntietur contra valorem testamenti, à quo valore pendunt legata profana, & jus legatariorum, recte censetur & horum jus sublatum: econtra Hannibal non habuit causam à fratre Alphonso, sed jus æquè principale per contractum mutui à se æquè principaliter initum, adeoque ex facto proprio. Ad III. *N. Min.* nam inter fratres non præsumitur societas, etsi habitent simul, & bona paterna retineant communiter, seu stent adhuc in communione, seu bona paterna pro indiviso retineant, participantes solummodo fructus; nisi inter se communicent lucra & damna saltem ex pacto tacito, seu facto suo (quod contigisse apud hos fratres nequitiam probari potest) *Card. Tusch. litt. 8. concl. 311. 312.* item *concl. 286. n. 4. § 11.* cum aliis imò *d. concl. 286. n. 49.* cum plurimis dicit, societatem tacitam non contrahi ex sola possessione rei communis, neque ex communicatione fructuum. & *n. 54. seqq.* negat eandem contrahi ex emptione (consequenter & mutuo) communiter & pro indivisione facta, addens, tales potius esse consortes, quàm socios; nec enim emptio communis probat societatem, nisi constet aliunde de animo & con-

sensu in societatem, nec ex eo, quod fratres possideant in communem bona paterna, & vivant ad unum panem. Proin à fortiori non præsumitur societas inter fratres, si non vivant ad unum panem, ac in diversis locis habitent: si non habeant bona in communem: si nec fructus participent: uorum ullum apud hos fratres locum habuisse probari satis non potest: consequenter nec super re vel negotio sociali sententiam fuisse latorum extra societatem verò factum fratri non nocet, *l. 2. §. 1. ff. quis aliq. testari prohibeatur.* ergo sententia nocet fratri. Accedit, quod causa hæc mutui, & usurarum, in quibus fuit litigatum & pronuntiatum, non fuerit individua, sed omnino divisibilis in partes, sicut hæreditas inter coheredes est divisibilis, & sic quilibet pro sua parte mutui dati, & usurarum acceptarum, propriam habuerit actionem & defensionem: sicut igitur sententia lata contra unum hæredem in dicta non nocet coheredi, ita nec sententia lata contra unum mutuante, usuras accipientem, nocebit alteri mutuanti &c.

Ad IV. transeat *Antec.* saltem in certis casibus. *N. Conf.* ita enim constituta sunt, ut homo homini prodesse possit, non nocere. *l. 39. ff. negot. gest. l. 2. ff. quod vi aut dolo.* Unde lis cum alio agitata, licet quando aliis prodesse, nocere tamen non valet, ut facile deducitur ex *l. ff. de re jud.* ibi: *de unoquoque negotio presentibus omnibus, quos causæ con-*

judicari oportet: aliter enim iudicium tantum inter presentes tenet. Ad V. C. Antec. quia fideicommissarius à fiduciario, substitutus ab hærede instituto, totam suam causam & ius dependens habent: si proin illis per sententiam abjudicatum est omne ius, nihil juris manere potest aliis, cum nemo plus juris in alium trans-

ferre possit, quam ipse habuerit. sed dist. Conf. ergo etiam in aliis causis nocebit personis à litigante distinctis, quando nimirum alii omnem causam suam & ius habent à condemnato (vel sinunt alium agere, quem ab agendo propter prioritatem juris prohibere poterant) C. Conf. in aliis casibus. N. Conf.

QUÆSTIO II.

An sententia contra Alphonsum lata ob expressam in ea causam falsam fuerit valida?

Affirmat Bartolus extra casum, quo per dolum adversarii sententia ex falsa causa est lata, cum quo alii communiter transeunt teste Socino apud Pachin, *controv. juris lib. 10. c. 83.* & sic fundant i. in l. 2. C. quando prov. non est necesse, ubi sententia quidem dictum nulla, quæ per errorem juris manifestè lata est, non verò, quæ per errorem facti postea clarè deprehensum; sed in præsentem solum est lata per errorem facti; quia Iudex credebatur, usuram cum excessu fuisse acceptas. II. In l. m. C. de Rei uxoria act. ubi conceditur actio dotis ex stipulatu, licet stipulatio non intervenerit, vel inutilis maneat, quia præsumit Imperator intervenisse stipulationem, eamque validam: ergo etiam præsumitur pro valore sententiæ, ubi causa inutilis vel falsa intervenit. III. In l. 19. ff. de re iud. ubi sententia non valere dicitur, in qua exprimitur aliquid contra ius: ergo, si tantum aliquid in ea ex-

primitur contra Factum, valebit. IV. In l. 1. ff. quæ sententiæ sine appellat. rescindantur. ubi valida pronuntiatur sententia, si Iudex ex errore alias & diversas species reputavit in calculo, certam sortem respiciente, modò non erraverit in ipso calculo seu numero: ergo non qualibet falsitas causæ vitiat sententiam. V. In c. 16. b. t. ubi præsumitur generaliter pro Iudice, quòd ritè processerit, & cognitionem causæ, super qua pronuntiavit, debitè præmiserit, ac insuper habetur, quòd Iudex non teneatur exprimere causam, à qua ad sic pronuntiandum motus fuit: ergo, licet in sententia expresse-rit causam falsam, id non oberit valori sententiæ, quia illam omnino potuisset reticere. VI. In ratione, vel potius paritate: sententia lata per falsos testes, vel instrumenta, aut allegationes falsas tenet, quamvis per re-stitutionem in integrum rescindi & retractari possit. text. & DD. in c. licet cau-
D d d 3

causam de probat. l. Divus ff. de re Jud. l. si ex falsis instrum. § l. agutus C. de except. l. si ex falsis 42. C. de transact. Vantius de nullitate, ex defectu Processus n. 132, ubi excipit sententiam contra absentem ex causa falsa dolo partis latam, item latam contraminorem, & jure minoris gaudentem fiscum, vel Ecclesiam. Ratio, quia probationes ac media causæ non sunt de substantia Judicii, ac talis sententia contra jus litigatoris tantum, non contra jus Constitutionis ita prolata censetur. Vantius lo. cit. ergo etiam valebit sententia, in qua exprimitur causa falsa.

Melius tamen negat Fachin. contrav. Jur. lib. 10. c. 83. cui à fortiori accedent omnes illi, qui pro invalida habent sententiam contra notorium (sicut Juris) ita & Facti latam, quorum sententiam post multos allegatos Felin. in c. quoniam n. 26. de probat. vocat communem, ac dicit in practica servari; item illi, qui pro nulla habent sententiam, quæ est lata ex causa notoriè falsa, ut Abbas in c. inter ceteras eod. Felin. & alii communiter apud Vantium n. 128: ubi sic intelligi vult etiam Rotam, dum decis. 347. voluit, sententiam, per falsas causas & allegationes latam, esse nullam: id quod contingeret, ut explicat Vantius n. seq. si Judex in sententia expressè se referret ad aliquid, quod reperitur in Actis, tanquam ad causam suæ sententiæ, quod tamen deprehenditur clarè falsum esse: non verò si se referret tantum generaliter ad Acta, non ad aliquid in specie per

modum causæ, v. g. dicendo notoriè perpenis actis condemnno Titium &c. enim, licet postea deprehenderetur falsitas in actis, ex quibus lata dicitur esse sententia, tamen ista valet Vantius n. 130. Si ergo Doctores communiter pro invalida habent sententiam, quæ notoriè procedit ex falsa causa, vel errore Juris, aut Facti item eam, in qua Judex se refert ad quædam acta in specie per modum causæ & motivi ad sic pronuntiandum se tenentia; à fortiori pro invalida habebunt vel habere debent sententiam in qua exprimitur causa, propter quod est lata, notoriè vel certò falsa, indein falsitas immediate pateat per se, five ex actis clarè reluceat.

Fundatur hæc nostra decisio I. l. 2. C. de sentent. ex breviter recitat. 7. C. de sent. § interlocut. omni. cum, ubi habetur, sententiam non neri, quæ sine debita causæ cognitione prolata est: sed, ubi notoriè falsa causa in ipsa sententia allegatur, ignum est clarum, causæ cognitione debitam non præcessisse. II. l. 1. §. 1. ff. quæ sent. sine appell. rescribitur, ubi error facti manifestus, utpe error calculi & computationis, sententia relucens eam facit nullam, ergo etiam manifestus error & causa falsa, quam exprimit sententia, est aliud factum (ut impræsentiarum excessus usurarum, utpote qui redditus prius rationibus accepti & pensati innotescere non potuit) sententiam. III. In c. inter ceteras b. t. ubi sententia manifestam

mens iniquitatem pronuntiatur nulla;
tam *Summarium* sic habet: si autem
continet manifestam iniquitatem, est nul-
la: sed sententia, continens causam
manifestè falsam, continet manifestam
iniquitatem: ergo. IV. In paritate;
nam transactio ex falsa causa corrumpitur.
Menoch. Conf. 91. n. 40. sed sententia
comparatur transactioni. *l. non mino-*
rum 10. C. de transact. ergo.

Argumenta Partis affirmantis non
admodum stringunt. Ad I. *dist. Ma.*
sententia per errorem facti manifestè
debeturum valet, si error & causa
falsa non exprimitur in ipsa sententia,
vel si sententia se non expressè refe-
rat aliquid ex actis per modum cau-
sæ, quod falsum est. *C. Ma. secus.*
N. Ma. in præsentii falsam causam, &
quidem clarè falsam, continet ipsa
sententia. Ad II. *N. Conf. & parit.*
Illa lex unica fingit, stipulationem uti-
lem & ex omni parte perfectam inter-
venisse propter favorem dotis: nulla
autem lex fingit sententiam ex vera
causa processisse, ubi falsa reperitur
expressè. Ad III. *Antec.* hoc non ap-
paret in textu allegato. Sed *N. Conf.*
nam per hoc, quod sententia contra
Jus manifestum lata dicatur non vale-
re, non affirmatur, quod valeat, quæ
contra Factum manifestum prolata re-
peritur; cum talis æquè contineat ma-
nifestam iniquitatem, quàm quæ con-
tra Jus manifestum noscitur esse lata;
& à DD. æquiparetur communiter,
& quidem in specie ad inducendam
sententiæ invaliditatem, notorium Ju-
ris & Facti falsum, eò quod tale no-

torium æquipolleat expressioni. Van-
tius *n. 126.* cum Innoc. Felin. Fran-
co, Abb. Anch. imò hic falsum no-
torium circa Factum sententia expref-
sit.

Ad IV. Ex illa lege, quam pro no-
bis quoque adduxi, eruitur, non qui-
dem per omnem errorem facti, qui
nimirum accidentaliter tantum est, vi-
tiari sententiam, bene tamen per illum,
qui substantialis est, & cui innititur
sententia tanquam causæ & motivo,
ut in præsentii hypothesi contingit.
Ad V. Ubi expressio causæ falsæ noto-
riam iniquitatem sententiæ aperit, om-
nis pro ea, & pro Judice, quam aliàs
pro se habent de Jure, præsumptio bo-
na tollitur; cum præsumptio cedere
debeat veritati, nec locum habeat, ubi
manifestè de contrario constat. *l. si*
pars. ff. de inoff. testam. c. inter ceteras.
c. cum Berthold. b. t. Vantius *n. 127.*
cum aliis. Quamvis autem Judex non
teneatur in sententia exprimere causam
saltem ordinariè, imò securius & con-
sultius reticeat, si tamen exprimat cau-
sam notoriè falsam, valorem aufert
sententiæ, utpote notoriè iniquæ, & si-
ne cognitione debita prolata. Ad VI.
dist. antec. Si Judex in sententia se spe-
cialiter non referat ad testes, vel In-
strumenta, quæ ex actis constat esse
falsa. *C. ant.* si se specialiter referat, ac
in iis suam sententiam fundet. *N. ant.*
& conf. Vantius *n. 129.* cum Bart. &
Bald. Jo. de Imola, Paulo Castr. Aret.
Jaf. Host. Abb. Fel. &c. propter *c. cau-*
sam. b. t.

TITU-